

Faint handwritten text in a cursive script, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

AB
13
3814



91 22 1/2

conradinus,
summus

Reuerendissimo Principi ac Dno Dno Thobardo
Episcopo Lubicensi Administratori Verden:
Abhati ac Dno Monasterij S. Michaelis in
Leunburgh, Dno suo clementiss. obser-
uantiae sac memoria erga obtulit
Henricus Ranzonius Regius per Folsa-
ham et Dithmariam Vicarius.

Ms. 455

Henricus Ranzonius

Script. lat. recent. in Quarto

No 26

2 N. 4.

[Large decorative signature]

Anno dmi 1583 Anno maris regni 58



EPITHAPHIA
ALIQVOT IN
OBITVM NOBILIS-
SIMÆ ANNÆ VVALSTOR-
piæ D. Iohannis Rantzouij equi-
tis aurati coniugis
conscripta.

ITEM ECLOGA DE
eiusdem Matronæ obitu, cuius
interlocutores

Menalcas, Mopsus, Eulalius.



L I P S I Æ
Georgius Defnerus imprimebat.

Anno

M. D. LXXII.

Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit
Mania, nec virtus alius ire potest.



ANNO
DOMINI
1574

Henricus Rantzouius Ioh. Rantzouij
Fr. regis Danie in Ducatibus Slesui, Hol-
satie ac Dithmarsie Vicarius, praefectus
Segebergensis, Dominus in Bredenbergh,
Rantzouisholm, VVandesburgi, Tuscu-
labecani. Nutzhouu & Melbeck.

ANNO
ÆTATIS
49



EPITHAPHIVM
QVOD HENRICVS
RANTZOVIVS MATRI SVÆ
Annæ VValstorpia Itzohoæ
fieri fecit.

A Nno à nato Christo M. D. LXXXII.
IIII. Calend. Ianuarij obiit nobilis &
pia matrona Anna VValstorpia, Joannis
Rantzouij coniunx, post obitum mariti
XVI. Anno ætatis verò suæ anno LXXII.
Cum vidisset filios filiorum, eorumq̄ liberos,
nepotes ac pronepotes, numero XLVIII.
quos omnes, non minus quàm semetipsam mor-
riens DEO commendauit. Hanc Henricus
Rantzouius primogenitus eius filius in hoc
templo sepulturæ mandari, corpusq̄ eius, cum
mariti ac liberorum ossibus coniungi, nec non
mœrens, hoc monumentum eius memoriæ po-
ni curauit.

2

DEFVN.

DEFUNCTA LO-
quitur. H. R.

Vltima *W*alstorpum proles hinc *A*nna quiesco
Iuncta viro, gnato filioloq, senex.
*I*ano *R*antzouio nupsi dilecta marito,
Bis duo cui genui pignora chara tori.
*E*x his progenitos cum neptibus adde nepotes
Nempe quater, denos, & dedit octo *D*EVS.

APOSTROPHE HENRICI
Rantzouij ad Matrem de-
functam.

ERgò etiam repetis patriam charissima Mater,
Et moriens tristi linqvis in orbe tuos.
Quod tamen extremum licuit valedicere saltem,
Hoc potuit certè gratius esse nihil.
*N*unc tua membra licet tumulo claudantur auito:
Mens tamen ætherea sede recepta viget.
*C*onditus hinc etiam pater est, fraterq, sororq,
His etiam iungi post mea fata peto.
*M*olliter ossa cubent patris, patris atq, sororis
Nec minus & Matris molliter ossa cubent.

ALIVD EPITAPH. H. R.

Iam pietate grauis, senio veneranda supremum
Inconcussa fide finiit *A*nna diem.

Anna

Anna decus generis VValstorpum sanguine clara,
Anna vxor Iano tradita Rantzouio.
Hic vbi Stora suis urbem complectitur vlnis,
Ipsa suis summum prestitit officium.
Coniugis ac gnati hic, gnata quoq; condidit ossa
Magdalis, ad lachrimas officiosa pias.
Ad metam verò postquam peruenit eandem,
Henricus natu maior alumnus ait:
Quò dilecta mihi genetrix tua membra reponam?
Hic vbi filiolo est filiolaq; quies.
Fallor? an haud locus est verè tibi gratior vllus?
Sed tibi non vllus gratior esse potest.
Dixit & ad cineres fratris, patris atq; sororis
Apposuit Matris corpus & ossa sua.
Natorum natos & qui nascuntur ab ipsis
Conspexit diues progenieq; fuit.
Pro quibus ad dominum toto de pectore fudit
Sollicitas, donec viueret Anna, preces.
Tandem etiam moriens hos commendauit eidem,
Et superi gaudens scandit ad astra poli.

ALIVD AVTORE H.
 Conradino. P. L.

A Nna sub hoc tumulo placidè VValstorpia dormit,
 Vltima quæ fuerat, stemmatis Anna sui.
 Floruit Holsatias, quòd secula multa per oras,
 Et dedit insignes Martis togaq; viros.

A 3

Hæc

Hæc equi aurato, thalami sociata iugalis
Vixit Ioanni fœdere Rantzouio.
Hic decus vxoris fuit, illa corona mariti,
Vna duobus erat mens, amor atq; fides,
Hinc studium concors, vbertas florida rerum
Ambos in casto esse concomitata toro.
Octo suæ nouies vitæ confecerat annos,
Quando piè in Christo morte soluta fuit.
Florentes vidit natos, charosq; nepotes,
Et dulces neptes, spem columenq; domus.
Vidit & hinc, animo latante, nepotibus ortos,
Qui numero fuerant octo, quaterq; decem,
Filius hinc mœrens chari iuxta ossa parentis
Henricus Matris condidit ossa suæ.
Mox erit alma dies, tumulis rediuiua reclusis
Quà subeant cæli, corpora nostra, domo.



DEO

DE OBITU NOBILISS. MATRONE ANNE RANTZOVIAE D.
Ioannis Rantzouij coniugis Ecloga
cuius interlocutores

Menalcas. Mopsus. Eulalius.

Men. Mopsus adesce, video, cultor fidissimus agri,
Qui mihi de puero, quantum nunc ipse recordor,
Pectore nonunquam fucato semper adhæsit,
Illi constitui nostros exponere casus,
Et mea quicquid habet taciti mens ægra doloris.
Nam mihi saepe fuit curarum mite leuamen,
Mollia saepe dedit nostro solatia cordi.

Mops. Vox aures tetigit puto non incognita nostras,
Flebilior tamen haud dubij præsagaq; luctus,
Et, nisi fallor, erit nostri vox ista Menalca.
Sed mihi quis lento legit huc vestigia motu?
Ut video procul aspectans esse ipse Menalcas,
Sed tristem video, sunt ora simillima buxo,
Et gemit & mæstus digitis sua tempora scalpit.
Non temerè facit hoc, fortunæ signa nouerca:
Tales esse solent gestus, & pectoris agri,
Congrediar, quæramq;, noui quæ causa doloris:
Eia agè paulisper mærens subsiste Menalca.

Men. Tam mihi iucundus tuus esse aduentus amice:
Quàm sopor esse solet fessis in gramine molli,
Quàm saliens solet esse viris sitientibus vnda,
Cum grauidos calamis exussit Sirius agros

Posse

Posse meas spero curas sermone leuari.
 Ergo mihi coram quia tecum copia fandi
 Contigit, exponam, quæ sors inimica dolorem
 Quo mea mens coquitur miserè, confecerit istum.
Mops. Sic age, nam dabitur per me medicina dolori
 Non ingrata tuo, si sit medicabile vulnus.
Men. Haud ignota fuit tibi nostri Daphnidis vxor,
 Qui Latimontis celebratam condidit arcem,
 Hic, vbi Stora fluit, placida quem morte peremptum
 Ante tot, vt charum genitorem luximus, annos.
Mops. Tu Matronarum nobis decus atq; coronam,
 Openitus toto suspirans corde Menalca,
 Commemoras, quæ nempe viro dignissima tanto
 Nupta fuit pietate grauis, virtute decora.
Men. Scilicet, hinc luctu crucior magis optime Mopse,
 Cum qualis fuerit gemibunda mente recordor.
 Nam speculum purum spectandas tradere formas
 Vt solet & cultus, deceat qui quemq; referre:
 Sic quoq; virtutum nostri pia Daphnidis vxor
 Matronis exempla dabat, cunctisq; coruscum,
 Lumen erat pietate, fide, probitate, pudore.
 Et veluti varijs æstiuo tempore campus
 Floribus ornatur: Sic nostri Daphnidis vxor
 Exornata pijs virtutibus atq; polita
 Egregium de se quàm latè sparsit odorem.
Mops. Hei mihi, quòd soleat mors inuida parcere nulli.
 Occubuit nostri, quantum nunc audio, sæcli
 Lumen, & hei nostrum Daphnin pia nupta secuta est.
 Hinc tibi sunt gemitus, lachrimæ, suspiria, luctus.
Menal. Sunt equidem fateor, quis enim mala talia passus
Tempe-

Temperet à lachrimis, quis non suspiria ducat?
 Occidit hei nostri clarum decus occidit æuj,
 Indulgent lachrimis iam sylvæ, flumina, fontes,
 Pascua, rura, lacus, pecudes, & quicquid ubiq; est,
 Nos quoq; nunc miseri, qui ferro vertere glebas
 Hic sumus edocti, quia nostri Daphnidis vxor
 Concidit, hæc animo sentimus vulnera, quæ non
 Totius Anticyre proventus tollere possit.
 Quis lachrimas, ô Stora, tuas numerare? quis autem
 O vicina tuos gemitus nunc Vellula possit?
 Nam vobis, nostri perijt quia Daphnidis vxor,
 Concidit omne decus nullis reparabile donis,
 O quoties votis nil proficientibus illam
 Storaides nymphæ reuocarunt, talia frustra
 Clamantes, genetrix cur sic nos alma relinquis?
 Anna mane, vel nos tecum, quas ibis in oras,
 Transfer & hinc vultu te nunquam subtrahere nostro:
 Sed precibus cunctis stat inexorable fatum.
 Mops. Ohe iam satis es curis afflicte Menalca,
 Quæ damus hæc iterum solatia mente repone,
 Nullus homo casu moritur neq; nascitur vllus,
 Rex verò superas qui fulmine concutit arces,
 Et bene fructificat sata nostra, boumq; labores,
 Cum placet huic, vitam nobis largitur & aufert.
 Ille dies, horas, menses numerauit & annos
 Constituit certos, cum nondum Matris ab aluo
 Suscepti sumus, & vitalem traximus auram:
 Ergo quòd occubuit nostri pia Daphnidis vxor,
 Non temerè est factum, quia nec passerculus vnus
 Decidit in terram, nisi sit diuina voluntas,

B

Nec

Nec quia per mortem mortales exiit artus,
Propterea nobis penitus perijsse putanda est:
Sed melioris habet gratissima munera vitae.

Men. Te dolor & luctus video nunc conficit ingens
Talia dum profers, quæ iure profecta videntur
E Phœbi tripode, & quæ vix dum cognita nobis.
Quin igitur mihi Mopse libens oracula pandis.

Mops. Sic faciam certè, quia non odiosa requiris.
Quid sit homo nosti, constet quibus ipse Menalca
Partibus, & quæuis pars qua sit origine ducta,
Altera pars oculis nostris patet, altera tecta est.
Hæc redit ad superos, quia pendet origo supernè:
Illa datur terræ, quia nil nisi terrea massa est.

Si spectes corpus, nostri pia Daphnidis vxor
Mortua dicenda est, quia viuere desijt orbi:
Si spectes animam viuuit, nec mortua dici
Hæc vlla ratione potest, viuetaq; perennis.

Mortua quæ gelidæ nunc pars est credit a terræ,
Tota reuiuescet, sed pura & criminis expers,
Cum tuba cœlestis feriet clangoribus orbem.

Cernis vt excusso mortalia lumina somno
Euigilant, quando bigis aurora refulget.

Cernis & vt longis Cerealia semina sulcis
Obruta post mortem veteres meditantur aristas:
Haud minus è gremio nostri pia Daphnidis vxor
Telluris, venient cum tempora iusta, resurget
Et capiet veræ cœlestia gaudia vitæ.

Menal: Ergo dies mortis natali dignior hora est?
Ergo mori lucrum? responsum. Mopse requiro.

Mops: Aspice mortalis, quot sunt incommoda vitæ

Quotq;

Quotq̄ malis hominum natura sit obruta, partus
 Obijcit his omnes, sed mortis liberat hora
 Illos, qui Christo Domino constanter adherent.
 Sponte ruinosas, quis non citò deserit aedes,
 Cum senio gemit, aut Vulcani sternitur armis?
 Quis non in portu securam degere vitam
 Exoptat, quando Neptunus & Æolus arma
 Expediunt, & vi miscentes omnia summa *infima summis*
 Acriter in vasto pelago confundere tentant?
 En gemit & laxa mundus compage labascit
 Inq̄ senescenti Satanas furit vndiq̄ mundo.
 Omnia miscens, omnia turbans, omnia perdens.
Men. Vera mihi narras luctusq̄ remissior esse
 Incipit, atq̄ vtinam fieret mihi copia tecum,
 De quibus incepta est oratio, plura loquendi,
 Nunc domus est iterum nobis visenda, quis autem
 Huc cursu properat, properantem en optime Mopse.
Mopf. Eulalius noster, nisi me mea lumina fallunt,
 Approperat cursu, quid si nunc nomina rebus
 Conueniant, letusq̄ ferat bona nuncia nobis.
Eul. Haud frustra, nuper quia nostri Daphnidis vxor
 Concidit, alterno luctum sermone leuatis.
 Si quid adhuc verò vestris in cordibus heret
 Tristitiæ, iubeo uos me spectare loquentem
 Et præbere meis auidas sermonibus aures,
 Nam vestros animos dulci nouitate tenebo.
Mopf. Eloquitor quodcunq̄ voles, tibi nostra patebunt
 Corda auresq̄ simul, quia sunt nouitatis amantes.
Eula. In sylua nuper solus spatiabar & ager
 Vicina, deflens hæc infortunia nostra,

Quòd terras liquit nostri pia Daphnidis vxor.
Et quanquam luctus somno contrarius ater
Esse solet, cogitq; insomnes ducere noctes:
Clara luce tamen mea lumina somnus inibat,
Et folijs quercus & gramine terra carebat,
Nec volucres suauis mulcebant aëra cantu,
Serpebat per membra sopor, mox ecce tubarum
Clangor & angelici feriebant aethera cantus.
Euigilo attonitus, cum vultus tollo iacentes,
Ecce stat ante meum nostri pia Daphnidis vxor
Conspectum, velut Hesperijs cum Phœbus ab vndis
Exit, & immensum perstringit lumine mundum,
Quin etiam talem membris exspirat odorem,
Qui paradisiacas facile superauerit herbas,
Nec mora siderea currus mittuntur ab arce
Luce coruscantes clara, quibus omnibus auro
Axis erat, nec non temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Hos ego spiritibus castis contemplor onustos
Quorum pars cytharam tractant, pars tympana pulsant,
Pars letum Peana canunt, non omnibus vnus
Est labor, at varijs testantur gaudia signis.
Descendunt curru, tum verò conspicio vnum
Vincentem claro stellas, & Iaspida vultu,
Supremi natum quem dixeris esse Tonantis,
Hic veluti summus reliquis Rex talia mandat:
Tollite vobiscum coràm quam stare videtis,
(Daphnidis vxorem monstrans) quia sedula cultrix
Religionis erat, vidi eius plurima facta.
Facta secuta fidem, cœtuq; recepta beato est.

Dixerat

Dixerat, expediunt regis mandata ministri
Impositamq; rotis, secum per inania caeli
Ad loca perducunt, ubi verè viuitur, atq;
Nulla voluptatem luctu contaminat hora.
Mopf. Suspensis igitur lachrimis, positog; dolore
Nos decet ad solitos intendere membra labores.
Men. Sic faciam, certè procul hinc dolor omnis abesto,
Viuit enim nostri, viuit pia Daphnidis vxor,
Sub pedibusq; tenet nubes, & sidera caeli,
Conspèctug; DEI per secula cunèta fruetur.



[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or a watermark.]

INSIGNIA NOBILIS ET
vetustæ Rantzouiorum familiæ.



Rantzouij rubra est clypei pars dextra : sinistra est
Candida: Sed cassis cornua bina gerit:
Cornua sunt robur, Martis color alter, & alter
Pacis : utrumq; sator nobilitate decet.
Forma quid hæc simplex? simplex fuit ipsa vetustas,
Simplicitas formæ stemmata prisca notat.






38 ¹³/₄

AB 38 ¹³/₄

(X 199 3-118)





EPITHAPHIA
ALIQUOT IN
OBITVM NOBILIS-
SIMÆ ANNÆ VVALSTOR-
piæ D. Iohannis Rantzouij equi-
tis aurati coniugis
conscripta.

ITEM ECLOGA DE
eiusdem Matronæ obitu, cuius
interlocutores

Menalcas, Mopsus, Eulalius.



L I P S I Æ
Georgius Defnerus imprimebat.

Anno

M. D. LXXII.